

Illud præterea deuota mente rogamus,  
Auspicio felix possit vt esse tuo:  
Incipimus quod nunc seclum numerare secundum,  
Vt fiant rursus plurima grata tibi,  
Incl<sup>y</sup>ta *MARCHIONVM* tu fac *BRENNI* *QVE* Nepotum  
Per te salua domus floreat illa diu,  
Non modo fundatrix templi *SOPHIÆ* fuit huius,  
Quæ quondam miti pro pietate sua,  
Nunc etiam cura sed sollicita fouet illud,  
Hæc simul & Musis ocia grata facit.  
Deniq; fac Patres accepta parare Lycei  
Vtilibus studijs officijsq; tibi.  
Vt tua sint maneant hæc & plantaria semper,  
Per quæ succrescat nomen honosq; tuus,  
Donec in æternum te plena laude *IEHOVAM*  
Prædicet os nostrum criminis absq; lue.

FINIS.

